

notius : Ecclesia probatur per verbum Dei ; ergo hoc debet illa esse notius et hinc dici nota.

R. quoad 1. D. M. Si quæstio sit de cognitione perfecta et quoad quid est, C. si sit de cognitione imperfecta et quoad an et ubi est, N. Vera autem doctrina pertinet quidem ad quidditatem et constitutionem Ecclesiæ ; non tamen penetrari debet ab omnibus Ecclesiam adire cupientibus.

Quoad 2. N. m. cujus veritatem nec quoad prius ostendit exemplum allatum, in quo Judaicæ Ecclesiæ veritas ex legitima sacerdotii successione, Samaritanæ falsitas ex illius defectu constabat : neque quoad posterius aliquid probat iterata restitutio doctrinæ ; utpote quæ effectus quidem renovatæ Ecclesiæ, non vero nota distinctiva fuerat : cum eadem nunquam Hierosolymæ defecisse dicatur, e Garizim autem non penitus ac perpetuo exularit.

Quoad 3. D. M. Per quod alterum probatur absolute et sine facto supposito, C. per quod tantum ex hypothesi probatur, *subd.* debet altero esse notius simpliciter, N. secundum quid, C. Admissa Scripturæ auctoritate et supposita ejus intelligentia, ad notas Ecclesiæ et ipsam Ecclesiam cognitio inde progreditur ; adeoque Scriptura ex hypothesi et secundum quid notior dici potest ; non tamen simpliciter et absolute : propterea quod Ecclesiæ datum sit Scripturam tradere et exponere ; faciliusque Ecclesia dignosci, quam Scriptura ubivis intelligi queat.

100. *Dico III.* Notæ et characteres veræ Christi Ecclesiæ sunt, quod illa sit una, sancta, catholica seu universalis, et Apostolica. *Prob.* Has dotes ad designandam veram Christi Ecclesiam synodus œcumenica II, Constantinopolitana I, inseruit symbolo : desideravit eandem tum Scriptura vel in sola epist. ad Ephesios, 1^{am} quidem c. 4. v. 4. et seq., 2^{am} ibidem v. 16. et c. 5. v. 24., 3^{am} c. 2. v. 14. et seq., 4^{am} ibid v. 20. ; tum Traditio inferius proferenda : probat denique necessitas ; cum Ecclesia suo capiti sine Unitate subjecta, sine Sanctitate digna, sine Catholicitate proportionata, sine Apostolicitate propria esse nequeat.

Conf. Hæ dotes sunt *notiores* Ecclesia ; cum facilius sit cognitu, num quæ Ecclesia has dotes habeat, ac an societas hominum quaedam sit vera Christi Ecclesia. Sunt etiam cuilibet obviæ et quodammodo *sensibiles* ; cum nemo sit, qui vel ipse examinando dispicere, vel capta passim informatione doceri easdem facile non possit : demum sunt *proprie*, cum nulli præter veram Ecclesiam queant congruere saltem omnes ; quandoquidem si falsæ Ecclesiæ convenirent, vera discerni ab aliis sectis, ullusque ad eam amplectendam adstringi nequiret. Ergo habent conditiones omnes ad veram notam requisitas adeoque sunt legitimæ.

101. *Dico IV.* Notarum Ecclesiæ relatarum proprietas præsertim stat in his ; quod sit Unitas corporis sub Christo capite, ejusque in terris vicario et D. Petri successore ; Sanctitas membrorum vel manifeste excellens vel confirmata miraculis ; Catholicitas seu universalitas quoad doctrinam, tempus et locum ; Apostolicitas per foundationem ab Apostolis, et continuatam Episcoporum Apostolis surrogatorum successionem.

Prob. 1^a p. Inter Patres hanc Unitatem maxime urgent, IREN. L. 3 cont. hæres. c. 3. scribens : *Ad hanc Ecclesiam Romanam propter potentiorum*

principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam, h. e. eos, qui sunt undique fideles; CYPR. L. de unit. Ut Unitatem manifestaret, Unam cathedram constituit, et Unitatis ejusdem originem ab Uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi et honoris et potestatis : sed exordium ab Unitate proficiscitur et primatus Petro datur, ut Una Christi Ecclesia et cathedra Una monstretur: OPTAT. MILEV. L. 2. cont. Parmen. Negare non potes Petro cathedram Episcopalem primo collatam, in qua Una cathedra Unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent. Similia refert. HIER. L. 1. cont. Jovinian. et ep. 57. ad Damas. atque AUG. passim. Conf. Reliquæ unitates, scilicet corporis præcise, Spiritus, Spei, Fidei, Domini, Patris ac Dei, in ep. ad Ephes. sup. cit. relatæ, vel non sunt notiores Ecclesia, vel cognitui difficiles, vel communes pluribus ; nostra autem unitas conditionibus omnibus oppositis gaudet : ergo hæc præ illis est nota Ecclesiæ statuenda.

Prob. 2^a p. Non desunt sectæ schismaticæ, quæ tribuant sibi sanctitatem vel a consecratione, vel a professione, vel a Christo capite, vel a Spiritu S. in habitante, vel a doctrina, vel ab actione ex variis Scripturæ locis desumptam ; quibuscum si de eorum singulis contendere volueris, nihil plerumque efficies, quam ut æquo cum illis Marte certasse videaris : ergo tanquam notam oportet designare Sanctitatem non tantum propriam, sed eam, quam manifestum est esse in Ecclesia vera, in societatibus autem alienis non esse. Atqui hæc est membrorum Sanctitas vel manifeste excellens, vel miraculis confirmata : quia prior nec ab extraneis ignoratur aut negatur ; posterior autem falsa et deceptorix esse nequit : ergo.

Conf. Quamvis Sanctitas doctrinæ soli Ecclesiæ veræ conveniat ; cum nulla sit secta, quæ non doceat aliquid aut falsum circa credenda, aut malum circa agenda : nisi tamen aut per manifestos fructus aut per Dei testimonia prodatur, occulta est, aut mendax esse potest : ergo ut vera nota sit, debet, quod Chrysost. de Apostolis testatur, non minus *candore morum*, quam *miraculorum splendore* elucescere ac prodi ; præsertim quia Christus exigit primum, Matth. c. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra, et glorificent Patrem, qui in cælis est* : secundum autem statuit, Marc. 16. v. 17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient.* etc.

Prob. 3^a p. Patres adeo stant pro Catholicitate, ut vel ex hoc vocabulo discerni Ecclesiam consentiant. PACIAN. enim in ep. 1. ad Sempronian. scribit : *Christianus nomen meum, Catholicus cognomen : illud me nuncupat, istud ostendit : hoc prodor, inde significor.* CYRIL. HIROS. Catech. 18. *Quod si forte veneris in civitates, non queras simpliciter, ubi sit Ecclesia, sed ubi Catholica Ecclesia? hoc enim nomen proprium est sanctæ hujus et matris omnium nostrum, quæ est sponsa Domini Nostri Jesu Christi.* AUG. L. de util. cred. c. 7. *Quod autem quærentibus satis est, una est Catholica, cui aliæ hæreses diversa nomina imponunt, cum ipsæ singulæ propriis vocabulis, quod negare non audent, appellentur ; quod idem uberius L. de ver. relig. c. 7. enuntiat.*

Conf. Speciatim universalitatem doctrinæ, qua damnantur errores aliquando ab Ecclesia damnati, et veritates ab eadem aliquando definitæ tenentur, CYRIL. HIROSOL. l. c. laudat, et exigit fidei veritas : universalitatem loci, quæ accepta pro diffusionem simultanea et permanente est moralis tantum

et respectiva, sumpta autem pro diffusionem tantum successiva est rigorosa et absoluta, tum Matth. 28. v. 19. et Marc. 16. v. 15., tum ep. ad Rom. 1. v. 8. et ad Coloss. 1. v. 6., Patresque passim designant, et postulat fidei necessitas: universalitatem temporis, quæ initium a prædicatione Apostolica, propagationem ad nostra tempora, et futuram durationem complectitur, tradunt, Matth. 28. v. 20. et Patres novitatem sectis exprobrantes, exigitque fidei constantia: ergo.

Prob. 4^a p. Characterem hunc exigunt Patres; et quidem conjunctim quoad utramque partem: Iren. L. 3. cont. hæc. c. 3. *Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre: et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis et successores eorum usque ad nos:* Tertul. L. de Præscript. c. 32. *Edant origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseverarint, habuerit auctoritatem;* Aug. L. cont. ep. fund. c. 4. *Tenet me in Ecclesia... ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum:* Singillatim autem et quoad unam subinde partem, tum iidem Patres, tum Cyprianus, Optatus Milevitanus, Hieronymus et alii a Bellarmino hic relati similia loquuntur.

Conf. Veram Ecclesiam intrinsece constituit et distinguit doctrina Apostolica; doctrinam hanc custodit traditio; traditionem istam inchoat et prodit fundatio Apostolica; fundationem hanc demonstrat producta ab Apostolis Episcoporum suorum successio; ergo Apostolica fundatio et successio Episcopalis ad Apostolos terminata distinguit veram Ecclesiam, ejusque est nota.

102. *Objic. I^o Contra Unitatem.* 1. Nec in Ecclesia V. T. ista unitas requirebatur: nec in Ecclesia N. T. erat Apostolorum tempore; quorum quilibet parem cum Petro dignitatem habebat. Ergo. 2. S. CYPRIANUS a STEPHANO fuit excommunicatus et tamen sanctus erat: injuste excommunicatus ex Aug. supra laudato potest fieri salvus: ergo cum non detur extra Ecclesiam vera sanctitas et salus, etiam rescissi a capite pertinent ad Ecclesiam, adeoque unitas a nobis explicata nequit esse nota. 3. Sedes PETRI, quæ centrum unitatis dicitur, vacare potest vel per mortem, vel per absentiam Pontificis Roma alio migrantis, vel per schisma multorum de Pontificatu contententium: in nullo horum casu servatur unitas corporis cum capite et Christi vicario: ergo.

R. ad Arg. cont. Unitatem. Ad 1. quoad prius *N. Cons.*, quoad posterius *N. Ass.* Disparitas in illo liquet primum ex institutione, qua Deus constituit Synagogam pro unica gente, Christus Ecclesiam pro toto hominum genere: dein ex necessitate, quæ nulla fuit pro lege scripta, est autem pro lege gratiæ: denique ex perfectione, quæ minor fuit in antiqua, ac nunc est in nova Ecclesia. Falsitas posterioris patet ex supra dictis de unitatis principio.

Ad 2. R. 1. N. primam partem. *Ant.* quia excommunicationem minatus quidem est Stephanus in Cyprianum, sed intra minas hæsit, nec tulit sententiam; ut suo loco, ubi de sacramentis agitur, ex Augustino patet. *R. 2. D. suppos. Cons.* Non datur salus extra Ecclesiam adæquate sumptam tam

quoad animam quam quoad corpus, C. extra Ecclesiam inadæquate quoad corpus, *subd.* si quis extra illam sit culpabiliter, C. si inculpabiliter, et voto vel affectu sit intra, N.

Ad 3. N. min. quia Pontifice mortuo sedes seu cathedra Petri remanet; eoque migrante eadem est, ubicumque legitimus Pontifex degit: adeoque cum ista servari unitas potest ac debet. Pontifice autem dubio et incerto, opus est et sufficit principali cathedræ inhærere ea animi comparatione, ut paratus sis futuro legitimo Pontifici obtemperare.

II^o Contra Sanctitatem. 1. Vindicant etiam sibi sanctitatem manifestam gentiles in Stoicis, hæretici in Catharis; miraculis confirmatam illi in Vespasiano apud Suetonium, isti in Paulo Episcopo Novatiano L. 7. hist. Eccl. c. 17. apud Socratem. 2. A paucis, si qui etiam sancti sunt, Ecclesia nequit dici sancta; cum a parte una vel altera non denominetur totum, præsertim ubi partes plures adsunt pro prædicato opposito, ut respectu Ecclesiæ sunt peccatores. 3. CHRYS. hom. 49. in Matth. asserit, suo tempore sublatam miraculorum operationem: Aug. autem L. de unit. Eccl. c. 19. negat manifestari Ecclesiam ex miraculis, cum miracula probanda sint ab Ecclesia.

R. ad 1. D. Vindicant sibi sanctitatem vere ac certo manifestam, N. falso aut ambigue apparentem, C. Stoicorum superbiam, ferociam et pertinaciam, Catharorum hypocrisin, vanitatem et sordes coævi scriptores diffamant: Vespasiani miraculum curantis cæcum Tacitus L. 4. hist. ipse elevat; Episcopi Novatiani prodigium ad testandam sacramentalis Baptismi virtutem, non ad confirmandam hæresin factum auctor laudatus exhibet.

Ad 2. N. Ass. ad ejus *prob. D.* Denominatio non sumitur ab una vel altera parte qualicumque et semper, C. a potiore et aliquando, N. Contrarium certe patet, dum scholam nobilem, exercitum fortem, civitatem divitem etiam a paucis appellari audimus.

Ad 3. R. CHRYSOSTOMI auctoritatem opponi falso; cum opus citatum sit pseudepigraphum, falsamque assertionem referri historia Ecclesiastica illius temporis edoceat. AUGUST. autem eo loci, cum Donatistæ opponerent sua miracula, Concilia et Sanctos illis quæ Catholici pro se adferebant, a mutuo controversis ad utrinque certum, sacram scilicet Scripturam, provocavit; ex qua primum Ecclesiam probat, tum vero per eam iudicium de Donatistarum miraculis, interim omissis, ferendum ostendit. Ubi vero contra Manichæos agit, qui Scripturæ partem repudiabant, in L. cont. ep. fund. ex miraculis veram Ecclesiam, tum ex Ecclesia Scripturas demonstrat: universim vero miraculis plurimum alibi, præsertim L. 22. de Civ. Dei, utitur ad veram religionem ostendendam et declarandam.

III^o Contra Catholicitatem. 1. Tempore Arianorum paucissimi erant orthodoxi, et Ecclesia ætissime circumscripta; cum teste HILARIO L. de Synod. in decem Asiæ Provinciis, præter ELESIUM Episcopum et cum eo paucos, Deum cognosceret nemo: teste autem HIERON. in Dial. adv. Lucif. post Ariminense Concilium ingemuerit totus orbis, et se Arianum miratus sit. 2. Nostra ætate Ecclesia Romana, quam veram dicimus, non est in Britannia, Belgio federato, Dania, Suecia, magna Germaniæ parte, Russico et Ottomanico imperio, reliquisque Asiæ et Africæ, multis præterea America partibus: ergo. 3. Nec in fine seculi Ecclesia toto orbe diffusa erit, CHRISTO Luc. 18. v. 8. dicente: *Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?* Ergo.

R. ad 1. N. Ass. Ad HILARIUM a Donatistis laudatum olim Aug. ep. 48. respondit, hunc Patrem arguisse decem provinciarum zizania, non triticum: plures obscuris Arianorum verbis delusos, voce, non sensu, dissensisse: paucos quidem comparative, sed tamen absolute multos perstisisse integros. De HIERON. in Tr. de Trin. (num. 37. et seq.) ostenditur dictum ejus habere hyperbolem, Patresque Ariminenses nullatenus reipsa fuisse hæreticos. Cæterum apertius evanescit objectio ex triplici Arianismi statu. 1^{mus} sub CONSTANTINO fuit ab hæresis ortu usque ad an. 337, quo tempore triumphavit vera fides in Conc. Nicæno: et quamvis postea Athanasius, sed ob personalia tantum, relegaretur, factioque Ariana artibus politicis ac dissimulatione erroris caperet incrementum; Oriens tamen maximam partem fidelis stetit, Occidens totus felici pace fruebatur. 2^{us} sub CONSTANTIO ad an. 361 prolatus, nihil turbarum, dum CONSTANS viveret, in Occidentem tulit; sed potius Ecclesiam in Conciliis Romano, Mediolanensi et Sardicensi egregie defensam conspexit. Post illius quidem mortem Occidens una et Oriens motu æquali est concussus, tum LIBERI exilio, tum Conc. Ariminensis et Seleuciensis sive facto sive præensione: nihil tamen effectum aliud, quam ut Ecclesia e violentiarum et fraudum nubibus illustrior emergeret. 3^{us} sub successoribus variis et diviso Imperio vidit in Occidente victricem semper Ecclesiam; in Oriente quidem afflictam, sed præcipuorum Episcoporum, Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni virtute, aliorumque plurium cum Occidentalibus communionem identidem erectam et perdurantem.

Ad 2. D. Cons. Ecclesia hodierna, non est diffusa per totum orbem diffusionem successiva; cum in memoratis regionibus omnibus Ecclesia olim flourerit, N. diffusionem simultanea, *Subd.* Ecclesia dominans, C. vel illa, vel tolerata aut patiens, N. Ecclesia *dominatur*, ubi rerum potiuntur Principes fideles, qui publicum Religionis exercitium præcipiunt aut tuentur: *toleratur* ubi dominantur Principes infideles aut Aetholici, qui privatam saltem exercitium impune tolerant aut dissimulant: *patitur*, ubi nemo sive palam sive privatus catholicus esse impune sinitur. Dictum autem esse supra universalitatem successivam sufficere; simultaneam, si qua admittitur, non esse metaphysice sed moraliter talem; atque hanc postremam etiamnum Ecclesie secundum aliquam de expositis acceptionem tribui posse, patet ex superioribus; præsertim cum Ecclesia sæpe sit magis conspicua, ubi patitur quam ubi dominatur, ut in primis Ecclesie seculis manifestum fuit.

Ad 3. Respondet L. de unit. Eccl. c. 15. Aug. Donatistis idem objicientibus, id intelligi dictum vel propter ipsam fidei perfectionem, vel propter iniquorum abundantiam et paucitatem honorum: neque interrogatione in textu usurpata fidem omnem aut penitus negari.

IV^o. Contra Apostolicitatem. 1. Apostolicitas ex fundatione videtur rejecta a PAULO 1. ad Cor. 1. v. 12. improbante quod unusquisque dicat: « Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ: » ex eadem et successione constans non cognoscitur; cum ea cognitio ex historiis derivanda, rudibus sit impervia, eruditis controversa: ergo. 2. Successio ab Apostolis ad nos perducta vel est ratione loci, vel ratione personarum, vel ratione doctrinæ: nulla ex his quadrat pro nota Ecclesie: ergo. 3. Memorata successio colligitur ex missione ministrorum vel ordinaria vel extraordinaria: saltem alterutra convenire potest etiam Ecclesie a Romana sejunctæ; ergo.

R. ad 1. N. utr. p. In priori disparitas est, quod provocatio ad Apostolos a Corinthiis fieret, scindendo unitatem et negligendo Christum tanquam principium: a nobis autem ea fit, tendendo ad unitatem, et primam fundationem in Christo. In posteriori, rudibus sufficit ignorantia initii post Apostolorum tempora facti: eruditis deesse notitia nequit de antiquitate Ecclesie et novitate Sectarum.

Ad 2. N. m. Neque enim successio localis deest in Ecclesia vera; siquidem illa non repetatur a residentia in loco, sed a jure in sedem, quo modo appellatio Romani Imperatoris etiamnum usurpatur: neque deficit successio personalis saltem Episcoporum universalium, ut ex Pontificum historia liquet: neque desideratur doctrinalis, quamvis rationem notæ non habeat; cum priorum duarum comes sit, et ex universalitate doctrinæ sequatur.

Ad 3. N. min. Auctor enim vel sectator Ecclesie falsæ vel ordinariam missionem ex defectu ordinationis legitime non accepit; vel amissa per hæresin aut schisma jurisdictione eandem non retinuit: pro extraordinaria autem nemo extra Ecclesiam probantia signa adducet unquam; aut si adferat, nec tamen ordinariæ missioni se submittat, ministerium contra divinum ordinem usurpat.

103. *Observa.* Plerasque notas ab aliis assignatas reduci ad quatuor a nobis propositas, ex ipsa earum expositione data constat. Sicut hic referri nequeunt postremæ duæ a BELLARMINO deductæ, felicitas nempe temporalis defensorum, et infelix exitus hostium Ecclesie veræ, sic nec easdem in notarum numerum admittimus. Quamvis enim contingat aliquando, persecutores Ecclesie hac in vita a Deo flagellari, et e contrario ejus defensores præmiis cumulari et bonis, ut exemplis insignibus Cardinalis dietus amplissime illustrat: contrarios tamen eventus historie etiam tum veteris tum novæ Ecclesie produunt; ut adeo illa tanquam propria nequidem sanctitati conveniant, ideoque careant conditione ad notam Ecclesie omnino requisita.

ARTICULUS IV.

An vera Christi Ecclesia deficere possit?

104. *Nota.* Ecclesia visibilis, qualem hactenus probavimus veram Christi, deficere dupliciter concipi potest; vel per desitionem, si nempe nulla aliquando reipsa existat, aut visibilis sit congregatio fidelium sub Christi vicario eandem fidem profitentium et sacramenta eadem participantium: vel per mutationem, si nempe congregatio ista aut non uniatum amplius cum capite, aut profiteatur fidem erroneam, aut falsa sacramenta participet. De utraque defectibilitate hic queritur; et quidem 1^o an Ecclesia possit deficere per desitionem, seu perire penitus aut disparere? 2^o an possit deficere per mutationem? quæ postrema questio quamvis plures secundum expositionem proxime datam partes habeat, sistit tamen in puncto magis controverso, facitque hunc sensum: an Ecclesia falli aut errare possit in rebus fidei?

Quæsitum utrumque LUTHER. L. de servo arbit. et CALVIN. L. 4. Inst. c. 1. facta distinctione in Ecclesiam invisibilem et visibilem, de illa quidem negant, de hac autem affirmant: quin adjuncta alia divisione rerum fidei in necessa-